

Kreis
Steinfurt

S 114

1266 (1265) Januar 10 Münster.

[59 114

Gütertausch zwischen dem münsterischen Domkapitel und der Kommende Steinfurt.
 W(alramus) Dei gratia prepositus, Jo(hannes) decanus, R(emfridus) thesaurarius totumque capitulum Monasteriensis ecclesie universis etc. Ut etatis nostre negocia firmiora permaneant et non possint in posterum ab aliquo retractari, litterarum ea (!) testimonio ea confirmamus. Sciant igitur presentes ac posterī, quod venientibus ad presentiam nostram Henrico de Rencherinc et Alexandro milite de Gerinchusen et duobus filiis suis Conrado et Eustachio et uxore supradicti H. Hadewige domus duas in Heslede iacentes in parrochia Buren, quarum proprietates ad officium thesaurarii pertinebat, quas iidem a nobis iure hominī habebant, viris religiosis fratribus sanete domus hospitalis

Therosolimitane in Stenvorde pro quadam summa pecunie, scilicet XL marcarum venditas in manus nostras cum appendenciis omnibus resignarunt, quicquid in eis iuris habebant, effestucantes. Nos vero ad petitionem eorundem pio de consensu universalis capituli nostri domus prefatas resignatas in manus nostras et receptas antedictis fratribus in Stenvordia contulimus et donavimus libere in proprietate perfecta perpetuo possidendas cum hominibus eisdem domibus attinentibus tam infra quam extra manentibus ceterisque attinentiis omnibus, agris cultis, si quos etiam haberet incultos tam in miricis quam in pratis quam etiam in lignis silvarum vel nemorum; hac forma interposita, quod supradictus A. miles et sui filii et H. famulus et uxor eius G. (!) ob recompensationem proprietatis domorum prefatarum sub pretextu concambii domum quandam dictam Weghus iuxta Hiltorpe, quam dominus Hermannus de Mase a domino Hermanno de Langen tenuit in feodo, nobis resignaverunt, hoc a iam dicto domino H. milite de Langen, ad quem proprietates iam dicte domus Weghus spectabat, obtinentes, quod eam in manus nostras resignavit pio de consensu uxoris et filii sui Hermanni ceterorumque heredum suorum omnium libere sine omni impetitione perpetuo possidendam. Nos vero supradicto domino H. militi de Mase, sicut ante preordinatum fuerat, iure hominī porreximus obtinendam. Ceteram vero legitiam a domino H. milite de Langen de (!) et filio suo H. et duobus filiis domini A. de Gerinchusen et H. famulo de Rengerinc recepimus, quod ipsi bona memorata ab omni inquietatione libertabant nobis. Ut autem hoc firmum et ratum permaneat, presens scriptum sigillo ecclesie nostre fecimus communiri. Datum in Monasterio, die Pauli primi heremite. Acta sunt hec anno Domini M^occ^olx^ov^o, coram viris probis et honestis Johanne preposito sancti Egidii et Reinoldo sancti Nicolai clericis et Johanne de Darevelde et Henrico de Bertelwic et Conrado Gans et Gerlaco Scriptore militibus et Ecberto Biscopine cive Monasteriensi cum universis